Cracovien. Exemptionis

QUOD

Curam Animarum.

In Rota diei 23 Junii 1777. responsum

Constare de bono jure Praepositi Generalis quoad Ecclesiam de Miechovia tantum etiam ad effectum manutentionis.

Vide a principio hujus operis decisionem eandem

Stantibus &c.

Dubium = *An, & de cujus bono Jure constet etiam ad effectum Manutentionis in casu &c.*

1 **Rev. Pater.** QUæ de omnimoda Exemptione in *genere* favore nostri Reverendissimi Generalis, nostrique Ordinis *Sancti Sepulchri* solidissimè disserit *contemporaneus Restrictus*, ea adamussim omnia non dissimili firmitate suadent optimum Exemptionis Jus, quod *circa Curam quoque Animarum*, & *Administrationem Sacramentorum* perpetuò exercuit, certissimumque habet Reverendissimus idem Generalis. Itaque hujus etiam *Dubii* definitio non aliter est absolvenda a religione, & justitia Sacri Tribunalis, quam favore *ipsiusmet Reverendissimi Generalis*, ut votis deprecamur humillimis.

2 Jam verò incidere non oportet in æquivocationes, eaque propter nihil opportuniùs, quam distincta agendi methodus. Sit igitur prima ad examen *Ecclesia*, & *Monasterium Miechoviense*, quorum respectu privativum Jus *quoad Curam etiam Animarum* non aliter controverti potest nostro Generali Præposito, quam voluntario contendendi animo. Retenta enim Facti serie latiùs exposita *in nostro contemporaneo Restrictu*, compertissimum est, quod Monasterium Miechoviense fuerit semper *Caput* nostri Ordinis, ibique sedem suam jugiter retinuerit Præpositus tamquàm ejusdem Ordinis *Generalis Superior*. Tradunt id probatissimi Scriptores, eosque intèr *Joannes Duglos. Histor. Polon. fol.* 540. ibi = *Quod quidem CÆNOBIUM DE MIECHOVIA propter sui excellentiam, & vetustatem non solum omnium Cænobiorum suæ generationis, & Ordinis, quæ in REGNIS POLONIÆ extant, sed etiam omnium, quæ in Galliis consistunt, potest JUSTE', & RECTE' vocitari, & censeri VERTEX, CARDO, ET CAPUT, cum omnia ab hoc uno originem acceperint, & generationem. Cui etiam omnia Monasteria Ordinis præfati subsunt, parent, & obediunt* =; *Samuel NakielsK. in Promptuar. antiquitat. Ordin. San. Sepulchr. pag.* 232. ibi = *Monasterium MIECHOVIENSE, quod est CAPUT Ordinis Canonicorum Regularium*

rium

rium Custodum Sanctissimi Sepulchri, *vulgò Miechovitarum* =; *Joseph Fontan. in Histor. degl' Ordini Religiosi, e Militari Tom.2. pag.* 128. ibi = *Qual Monastero di MIECHOVIA essendo stato la cagione, onde molti altri se ne fondassero, è AL PRESENTE CAPO d' una Congregazione, che comprende venti Case tanto in Polonia, quanto nella Slesia, Moravia, e Boemia, ED E' GOVERNATO DA UN GENERALE, CHE HA IL TITOLO DI TUTTO L' ORDINE del Santo Sepolcro*,

5 Hujusmodi autem constantissimam traditionem, & veritatem dum litteris consignarunt laudati Scriptores, non solum respectum habuerunt ad Ponttificias Bullas, sed etiam ad alia, eaque luculentissima ejusdem veritatis monumenta. Quod enim pertinet ad Bullas Pontificias, nonne illæ nominatim directæ apparent ad Præpositum Monasterii *de Miechovia*? Ità sane legimus ex eisdem Bullis *in nostro contemporaneo Summario num.*5., *& litt.C.*, *& num.*6. 8. 9. 10., & 11. Qua autem id ratione factum a Summis Pontificibus? Non alia profectò, nisi quià Prępositus ipse *Miechoviensis* habitus, & reputatus semper fuit *Caput*, & *Superior* totius Ordinis, ut cæteros inter Pontifices expressis verbis edixit *Innocentius XI.* in sua Bulla omnium pręcedentium confirmatoria, relataque in eodem *contemporaneo Summario num.*12., ibi = *Exhibita &c. pro parte dilecti Filii Petri de PilcKa KorycinsKi PRÆPOSITI GENERALIS Ordinis Sancti Sepulchri Canonicorum Regularium &c. Cum autem &c. d. Exponens existimet &c., speretque, nonnulla Loca, seu Membra dicti Ordinis a PROPRIO CORPORE &c. separata &c. SUO CAPITI, si Sedem Apostolicam propitiam agnoverint, eo tandèm undè avulsa sunt, reversura*.

4 De eadem veritate dubitare non sinit illa effusissima Jurisdictionis amplitudo, quam Sanctissimi Pontifices in relatis Bullis indulserunt uni Præposito Miechoviensi supra universum Ordinem Sanctissimi Sepulchri, quemadmodùm ex earum tenore opportunè relegendo *in Summario dicto num.*5., *& seqq. ad num.*12. Eodem respectu urget animadversio, quod *omnes Domus, Prioratus, & Ecclesiæ existentes in Polonia, Boemia, Sclavonia, Russia, Hungaria, & Teutonia* fuerint à laudatis Pontificibus appellata *MEMBRA DEPENDENTIA ab Ecclesia, & Monasterio Miechoviensi* veluti à suo Capite, *Summario dicto num.*5. 9., & 11. ubique *litt.A.* Respectu etiam non dissimili urgent Constitutiones ab ipsis Præpositis Miechoviensibus sancitæ, & deindè à Sancta Sede approbatæ, quibus quilibet pro tempore Præpositus Miechoviensis renunciatur, & constituitur *Generalis* totius Ordinis, atque amplissima cum Jurisdictione visitandi, privandi, eligendi, approbandi, & Litteras impertiendi Dimissoriales,

alia-

aliaque faciendi, quæ à Generali Præposito, eoque exempto fieri solent, *Summ. num.* 11. 13. 14. 15., & 16.

5 Præterea hujusmodi *Generalatus* prærogativam uberrimè evincunt testimoniales Litteræ trium Poloniæ Regum. Earum altera, de qua *in Summario num.*26., data est à Rege *Sigismundo*, eaque patefecit, *Canonicos Sancti Sepulchri non quempiam alium, quàm ipsum PRÆPOSITUM MIECHOVIENSEM IN SUPERIOREM AGNOSCERE*. Altera verò est *Sigismundi III.*, ex qua relata *in Summario num.*27. haec habentur verba = *Sacræ hujus Familiæ SUMMA CUM POTESTATE PRÆSES est Præpositus Miechoviensis ex Pontificum AUCTORITATE constitutus*. Postremam denique *anno* 1667. dedit *Joannes III.* ad Summum Pontificem, eaque constituit, *quod liquidum sit, Præpositum Miechoviensem Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri FUISSE SEMPER DICTI ORDINIS GENERALEM, tot publicis id testantibus Documentis*, ut sunt ejusdem Regis verba *in Summ. num.*28.

6 Id ipsum confirmat Rescriptum, quo Sacra Rituum Congregatio *anno* 1661. palàm statuit, *Præposito, SEU SUPERIORI GENERALI ARCHICŒNOBII MIECHOVIENSIS MATRICIS Monasteriorum in Euròpa existentium non deesse in vim Privilegiorum facultatem concedendi Fratribus ejusdem Ordinis habitum Rocchetti, & Mantelletti*, quemadmodùm legere est *in Summario num.*29. *litt.A.* Id etiam ipsum in suo Brevi edixit *Benedictus XIV.*, veluti ex eodem Brevi *in Summario num.*31., ibi = *Dilectus Filius Florianus Buydecki modernus Procurator Generalis Canonicorum Regularium Sancti Sepulchri &c. Congregationis Miechovien. &c. Cum Commendatarius Præpositura Miechoviensis Ordinis, & Congregationis hujus, quæ Præpositura CAPUT ejusdem Congregationis existit* = Accedit Decretum *anno* 1718. latum à particulari Congregatione, atque à Sancta Sede approbatum, de quo *in Summario num.*30., ibi= *Ut Miechoviensis Monasterii, QUOD EST CAPUT SUI ORDINIS, Juribus &c. consulatur* =. Accedit publica Inscriptio, de qua *in Summario num.*32., ibi = *Amplissimo &c. totius Canonicorum Sancti Sepulchri Congregationis CAPITI, Præsuleis Insignibus exornato, Nobilissimæ Præpositorum Generalium SEDI, per Privilegia Regum, per Patriarcharum Rescripta, per Pontificum Diplomata recognitæ &c. CONVENTUI GENERALI MIECHOVIEN. &c. ad Annum Domini* 1162. *erecto*.

7 Accedunt perpetuæ Confessiones ipsorum Poloniæ Episcoporum. Quandoquidem in Actibus Institutionum illi semper recognoverunt uti *Generalem* totius Ordinis, & qua talem denominarunt Præpositum Miechoviensem, *Summario num.*33. Accedit, quod ipsimet Cracovienses Episcopi, quorum sub Diœcesi manet *Miechoviæ* Oppidum, in Relationibus datis

 ad

ad Sacram Congregationem Concilii dissertissimè professi sunt, *quod Canonici quoque Regulares Custodes Sancti Sepulchri Domini* HABENT CAPITALEM CONVENTUM IN MIECHOVIA CUM PRÆPOSITO TOTIUS ORDINIS GENERALI, ut ex eorum proprio ore legimus *in Summario num.34. litt.A.* Accedit, quod in Concordatis initis inter Sanctam Sedem, & Regem Poloniæ cum consensu ejusdem Episcopi Cracoviensis ad hujusmodi solemnem Actum subscripti, fuit speciali Articulo constitutum, quod in *Miechoviensi Præpositura esse debeat PRÆPOSITUS GENERALIS*, quemadmodum ex eisdem Concordatis *in Summario numer. 37. litt.A.*

8 Quid plura? In ipsis Capitularibus electionibus Præpositorum Miechoviensium à Sanctá Sede confirmatis, illi renunciati semper sunt *Generales*, atque uti Generalibus, & Capitibus Ordinis plenaria ipsis Cura, & Jurisdictio apparet commissa, *Summario num.23. 24.*, & 25. Recurrunt prætereà hùc illa nedum antiqua, sed novissima etiam Decreta, & Sententiæ tùm Curiæ Gnesnensis, tùm Apostolicæ Nunciaturæ, tùm Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, tùm demùm Sacri hujus Tribunalis, ex quibus eadem *Generalis Præpositi* prærogativa semper admissa, & recognita extitit in Præposito Miechoviensi, *Summario num.38.*, & *seqq. ad num.47.* Tandem adstipulantur gemina, quæ ineluctabilia sunt ipsius *Generalatus* Testimonia, nimirum Privilegia duo, quorum *altero* Joannes *Papa XXIII.* tribuit Præposito, & Successoribus Domus Miechoviensis, ut possent liberè uti, prout ad hæc usque tempora usi pacificè sunt, *Mitra, Annulo, Baculo, Dalmatica, ac aliis Pontificalibus Insigniis, & in prædicta, ac Domibus eidem subjectis, & Parochialibus, aliisque Ecclesiis ad eos pertinentibus Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, ac Matutinarum Solemnia elargiri valeant.* Alterum verò ipsi Præposito Miechoviensi uti *Generali* totius Ordinis tributum continet facultatem creandi *quatuor Notarios*, veluti de utroque patet *in Summ. num.49. litt.C.*, & *num.51. litt.A.*

9 In tanta autem probationum luce, & redundantia constito ad evidentiam usque, Monasterium Miechoviense esse *Caput* nostri Ordinis, inque eo *Sedem suam* habere *Præpositum Generalem* ejusdem Ordinis, consequens indè descendit absolutissimum, quod nulla competat Episcopo Cracoviensi Jurisdictio *super ipso Monasterio*, & *Ecclesia Miechoviensi* in pertinentibus etiam ad *Curam Animarum*, & *Sacramentorum Administrationem*. Sic enim consentaneè ad notissimam dispositionem *Concilii Trident. in cap.11. sess.25. de Reformat.* præscripsit æternæ memoriæ *Benedictus XIV.* in sua Constitutione, cui initium, *Firmandis* §.13., ibi = *Similiter ab Episcopi*

scopi Jurisdictione, *Visitatione*, & *Correctione etiam in his*, *quæ ad Curam Animarum*, & *Sacramentorum administrationem spectant*, *prædicta Sancta Synodus excipit tàm Sæculares*, *quàm Regulares Parochos*, *qui Animarum Curam exercent in iis Monasteriis*, *seu Locis*, *in quibus Abbates Generales*, *aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent* =: Relatisque concordantibus docet *Ferrar. in Bibliothec. Canon.*, & *Civil. verb. Regulares num.*131., ibi = *Exempti sunt etiam Animarum Curam gerentes in Ecclesiis eorum Monasteriorum*, *in quibus* ABBATES GENERALES, SEU CAPITA ORDINUM *Sedem Ordinariam Principalem habent* =

10 Ad hæc vero quidnam Pars Adversa? Non aliud profectò, nisi puerilitates, & ineptias. Et puerile quidem est, ac ineptissimum assumptum illud, quod Monasterium Miechoviense non sit *Caput* Ordinis, vel quia non habeat sub dominio suo cæteros omnes Conventus in Orbe Catholico existentes, vel quia concedi assueverit in Commendam, vel demùm quia Episcopus exerceat in eo Monasterio majorem Jurisdictionem, quam obtineat Generalis Præpositus in eodem Monasterio residens. Prima enim contrarii Assumpti pars fit statim ineptissima ex eo, quod non dubitatur, quin noster Ordo in universis Poloniæ Regnis redactus jam diù fuerit *ad Congregationem*, suisque vivat Legibus, & Constitutionibus a Generali Præposito Miechoviensi sancitis, perque Sanctam Sedem pluries approbatis, ut docuimus in *Summario num.* 13. 14. 15., & 16.

11 Non dubitatur etiam, quin ipsi Præposito tanquam Generali, & Capiti sui Ordinis ad tramites earumdem Constitutionum subsint omnes Ecclesiæ, & singulæ Conventuales Domus, quæ sunt dicti Ordinis, queque occupant universam *Poloniam*, *Silesiam*, *Boemiam*, & *Hungariam*, aliosque finitimos Locos, ut non solum affirmant superius laudati *Scriptores*, verùm etiam quoad Conventum *Sanctæ Hedvigis* apud Cracoviam testatur *Rot. in Cracovien. Præpositurae* 14. *Maii* 1773. *coram bo. mem. Riccio*, quoad aliam Conventualem Domum *Sancti Spiritus in PrævorsKo* recognovit eadem *Rot. in Præmislien. Præpositurae super Conventualitate* 22. *Januarii* 1761. *coram Reverendissimo P. D. Decano*, *ut in præsenti Summario Additional. num.*5., & 6., & quoad alteram Conventualem Domum *Sancti Joannis* in Civitate Gnesnensi fundatam recognovit etiam eadem *Rot. in Gnesnen. Conventualitatis*27. *Martii* 1775. *coram eodem bon. mem. Riccio*. Singulas verò, cæterasque omnes nostri Ordinis Ecclesias, & Domus Conventuales dependere a Monasterio Miechoviensi, ejusque Præposito subesse, non solum suadet formula obedientialis Voti, quod eidem Generali Miechoviensi cuncti profitentur Canonici in recensitis Ecclesiis, & Domibus degentes, uti habetur *in Summario num.*22., Sed ulteriùs comprobant innume-

ri illi jurisdictionales Actus Visitationum, Electionum, Privationum, Correctionum, Resignationum, aliique hujus generis, quos non tantum in Conventibus, qui jacent in Diœcesi Cracoviensi, verum quoque in relatis Ecclesiis, & Conventibus per *totam Poloniam*, *Silesiam*, *Boemiam*, *Hungariam* jugiter explevit noster Generalis Præpositus Miechoviensis, ut plenissimè resultat *ex Summario num.* 17. 18. 19. 20., & 21.

12 Post hæc autem quid deperit, si Monasterium Miechoviense, ejusque Superior non habeat sub potestate sua alios Conventus, qui manent in Galliis, & Hispaniis, quique particularibus vivunt Legibus? Id enim non facit, ut cessare debeat *Generalitia qualitas* in Preposito Miechoviensi, minusque perimit titulum, quem perpetuo habuit Miechoviense Monasterium, nimirùm *Capitis* universi Ordinis in tota *Polonia*, aliisque recensitis Regnis. Reque vera quis in Orbe Terrarum est adeò hospes, & cujus adeò peregrinantur aures, ut ignoret, multa adesse Monasteria ejusdem Ordinis, ejusdemque Instituti, quę variis in Regnis sita quemadmodum diversis reguntur Constitutionibus, ità & diverso subijciuntur, ac obediunt Superiori, qui tamen in eodem Ordine, eademque Natione existit Caput, & Generalis? Sic enim *Hieronymiani* suum habent Generalem in *Italia*, atque alterum in *Hispaniis*. Sic *Fratres Minimi* unum habent in *Galliis*, alterumque in *Italia* habent Præpositum Generalem, cui respectivè subsunt, & obediunt. Atque hinc extranea est a casu nostro, & retorquetur etiam tùm auctoritas *Fagnan. in Cap. de Priore tit. de Appellat.*, tùm Sacri hujus Tribunalis in *Decis.* 809. *coram Ansaldo*. Siquidem idem *Fagnanus* allegari exadverso solitus loquitur de illis Monasteriis, quæ particulariter vivunt, ullamque in Congregationem redacta non sunt, ut monstrant ejus apertissima verba in *dict. cap. de Priore num.* 16. = ibi = *Primus casus non dubius est in Regularibus Monasteriorum Episcopis subjectorum, prout sunt plures Abbatiæ, & Monasteria in Germania, Belgio, & in Polonia, in CONGREGATIONEM NON REDACTA, quæ nulla potiuntur prærogativa Exemptionis.*

13 Magisque extranea est a contrario proposito, magisque etiam nobis favet memorata *Decis.* 809. *coram Ansaldo*. Agitur enim inibi de Abbate, & Monachis cujusdam Monasterii, qui utcumque degerent in Diæcesi Constantiensi, suis adhuc vivebant peculiaribus Legibus, nec subditi erant Generali Abbati quamvis residenti in eadem Diæcesi. Undè firmatum extitit, hujusmodi singulari, deque per se viventi Monasterio non competere ea Exemptionis Privilegia, quæ a Sancta Synodo tributa sunt Capitibus, seù Generalibus illorum Monasteriorum, quæ Congregationem efformant, suoque reguntur Supremo Capite, ut differit eadem *Decis.* 809. *num.* 8., & seqq.

& *seqq. coram Ansald.* = ibi = *Eoque facilius, quando agitur de ALIQUO MONASTERIO Canonicorum Regularium, quod non regitur sub Generali, sed DE PER SE STAT, diversumque corpus constituit a toto Ordine. Quia præcisivè in hac hypothesi ab aliquo peculiari exemptionis Privilegio ipsi PARTICULARITER concesso, de jure vigore prædictarum Exemptionum Regularibus omnibus indultarum minimè dici valet exemptum ab Ordinaria Episcopi jurisdictione, a qua EXEMPTI SUNT REGULARES ILLI, QUI IN FORMA CUJUSDAM REIPUBLICÆ, SEU PER CONSTITUTIONEM UNIVERSITATIS AB EORUM CAPITE REGUNTUR, non autem illi, QUI PER SE VIVUNT.*

14 Melioris non est conditionis altera oppositio, quod concessiones in Commendam nostri Monasterii Miechoviensis excludant Generalitiam qualitatem in ejus Præposito. Id enim defendi forsan posset, si res esset de Monasterio, quod jure singulari regeretur independenter ab aliis, adeout non constitueret Congregationem, nec inibi adesset Regimen Prælati, seu Præpositi Generalis, cui cæteri omnes ejusdem Ordinis Conventus immediatè subsunt. Hoc siquidem in casu non tam ratione Instituti, vel disciplinæ Regularis, sed etiam ratione Jurisdictionis spiritualis potestatem suam posset exercere ipsemet Commendatarius. Ast ubi res est de Monasterio, prout nostrum Miechoviense, quod efformat Universitatem, sive Congregationem in totius Poloniæ Regno, nec non in Boemia, & Hungaria, omnesque Regulares Canonici horum Locorum vivunt sub Generali Præposito Miechoviensi, parentque legibus ab eo præscriptis; hac planè in diversissima hypothesi nemo dixerit, concessiones in Commendam dicti Monasterii aliquid irrogasse detrimenti prærogativæ, jurisdictioni, potestati, & effectui Generalatus. Nam hoc in casu ex Commenda non aliud sequitur, nisi aliquod præjudicium circa amissionem, vel diminutionem majorem redditum, ut benè distinguit, & probat ipse in contrarium allegari assuetus *Card. de Luc. in Miscell. Eccles. disc.* 54. *numer.* 26., & *seqq.* ibi = *Alter casus est, ubi agitur de Monasteriis, vel Conventibus illorum Religiosorum, qui constituunt REMPUBLICAM, SIVE UNIVERSITATEM in Orbe Catholico, sive IN ALIQUA REGIONE, VEL PROVINCIA, adeout vivant sub eorum Prælato Generali, & tunc nullatenus pariter intrant superius enunciata &c. Atque sequitur hinc, quod COMMENDA verè, & propriè aliud non infert damnum, vel præjudicium nisi circa amissionem, vel diminutionem majorum redditum.*

15 Idque adamussim est, quod apprimè vidit, definivitque Sedes Apostolica. Recurrente enim ad illam *anno* 1719. Generali Præposito Miechoviensi, *ut ejus Monasterii*, QUOD EST CAPUT SUI ORDINIS, *juribus consulatur*, quemadmodum

dum in *Summario numer.*30., Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, cui ex Oraculo Sanctissimi remissæ preces fuerunt, post maturrimum examen constituit, *NULLAM Commendatario dandam esse Jurisdictionem in Canonicos Ordinis Sancti Sepulchri*, eisdemque Canonicis *competere privativè jus eligendi suum SUPERIOREM REGULAREM GENERALEM*, veluti prostrat *in Summario numer.* 45. Idque ore suo firmiùs constitutum fuisse *anno* 1725. a Summo Pontifice, patet ex *Summario num.*46. In his ergo terminis insanire prius oportet, quam affirmare, ex Concessionibus in Commendam alteratam fuisse Generalatus qualitatem, & dignitatem, dum tot monimenta eamdem qualitatem, eamdemque dignitatem, & prærogativam Generalatus in Præposito Miechoviensi ostendunt perpetuò incolumem, perpetuoque confirmatam, ut à fortiori arguit idem *Cardin. de Luc. in Miscell. Eccles. dict. Disc.*54. *n.*25., & *seqq.*

16 Studio longè inutiliori ultima proponitur contentio circa majorem jurisdictionem in Monasterio nostro favore Episcopi Cracoviensis. Contorqueant enim ingenia sua contrarii Scribentes, non poteruut unquam huic probationi facere satis, nec poterunt in æternum præstare, Episcopos Cracovienses vel minimum exercuisse jurisdictionis actum in Monasterium, & Ecclesiam de Miechovia. Quid verò si nos ipsi omninò excludimus quoscumque assertæ jurisdictionis actus? Reque vera illustres, atque Seniores Patres uno ore affirmant, *nec vidisse unquam, nec a quopiam ex Majoribus audivisse, Episcopum, aut suos Commissarios aliquando exercuisse jurisdictionem suam in Ecclesiam Parochialem, & Conventualem Miechoviensem, & Personas exercentes Curam Animarum in eadem Ecclesia, minusque illam visitatam, vel aliquam inibi peractam fuisse visitationem*, ut ipsi loquuntur *in Summario num.*41., & *litt.A.* Dignumque maxima est ponderatione, quod cum olim Visitator Ordinarius Reverendissimus Hunicki venisset animo visitandi dictam Ecclesiam Miechoviensem, visis, & auditis Privilegiis, ille respondit, *se nolle unquam præjudicare eisdem, atque ideò non venisse animo exercendæ jurisdictionis, a qua revera abstinuit*, ut narrat, & testatur alter ex dictis Testibus in *Summario dicto n.* 41.

17 Confirmant hoc ipsum tum permulti Cives ejusdem Oppidi Miechoviensis, de quibus in *Summario num.* 42., tum alter spectatissimus Vir, de cujus egregio Testimonio in *Summario num.*43. Hoc etiam ipsum non obscurè præstant Relationes ab Episcopis Cracoviensibus datæ ad Sacram Congregationem Concilii, in quibus nec vola apparet, nec vestigium habetur ullius exercitæ jurisdictionis, aut expletæ Visitationis in Ecclesiam, & Monasterium Miechoviense, *Summario num.*36.. Idemque præterea ipsum majori claritate evincunt Testes exadversò examinati, quorum alter edixit = *Audivi*,

quod

quod Reverendiſſimus KunicKi tantum pernoctavit ibidem, non tamen Eccleſiam Miechovienſem viſitavit =. Conſonant & alii Teſtes, quorum verba in contrarium obtruncari inciviliter aſſolent, fueruntque ideò relata *in præter. noſtra Allegat.* §.9.

18 Dum itaque ex diſſertiſſimis non minus noſtris Documentis, quam ex Teſtibus exadversò repetitis ità manet excluſum quodlibet Epiſcopalis juriſdictionis exercitium in Monaſterium Miechovienſe quoad Curam etiam Animarum, utique ad puram reducitur putamque imaginationem illa juriſdictionis majoritas, quæ in eodem Monaſterio favore Epiſcopi venditatur. Vaniſſimoque conſilio hic refricarentur vetuſtiſſimi illi Actus repoſiti ſive in Confirmationibus, & Inſtitutionibus Præpoſitorum Miechovienſium, ſive in Sententia quadam Privationis, ſive in Reſignationibus, ſive in abſolutionibus a Cenſuris, ſive in aliis quibuſdam minutiſſimis. Jam enim latè probatum eſt in *contemporaneo noſtro Reſtrictu*, cujus ſint furfuris hujuſmodi Actus, ſatiſque eſſet unica reponderatio, quod nempè tales Actus nimis remotum habeant tempus. Terminant enim, deſinuntque circa *annum* 1650., ut quiſque oculis depræhenditur ſuis, qui *contrarium Summarium* diligenter inſpicere non dedignatur. Apoſtolicæ verò Confirmationes noſtræ Exemptionis, quibus omnes abrogantur contrarii Actus, incipiunt ab *Anno* 1162., & continuo temporis tractu procedunt *uſque ad annum* 1680., quemadmodum relegere eſt in *præterito Summario num.* 1., *& ſeqq. ad num.* 12.. Sanè è conſpectu hujuſmodi Apoſtolicarum Confirmationum, aliarumque peculiarium rationum quale deterrimum ſit reddendum judicium omnibus contrariis actibus, ſolidiſſimè oſtendit *noſter contemporaneus Reſtrictus* §.49., *& ſeqq. ad* §.68.

19 Hæc ſunt, quæ probatiſſimum faciunt optimum Jus favore Reverendiſſimi noſtri Generalis quoad *Monaſterium*, *& Eccleſiam Miechovienſem* in reſpicientibus etiam Curam Animarum. Reſtat modo videndum, an idem dicendum ſit quoad *cæteras Eccleſias Parochiales* ab ejus Ordine dependentes. Nos ſanè non invidemus Epiſcopo ſuper hiſce Eccleſiis vel Inſtitutiones merè *authorizabiles* Parochorum, vel approbationes etiam Confeſſariorum. Verum quod ſpectat ad Jus viſitandi eaſdem Parochiales, utique illud debet Epiſcopo denegari, & noſtro concedi Generali Præpoſito. Atque re admodum vera nonne Urbanus IV., & Eugenius IV. diſſertiſſimis eorum Bullis *omnes Prioratus*, *Eccleſias*, *Domos*, *Præpoſituras*, *Loca*, *Canonicos*, *Fratres*, *& Perſonas noſtri Ordinis cum omnibus Bonis*, *Juribus*, *& Pertinentiis ſuis*. A JURISDICTIONE, VISITATIONE, SUBJECTIONE, SUBSIDIO, PROCURATIONE, POTESTATE, ET DOMINIO *Ordinariorum Auctoritate Apoſtolica* IN PERPETUUM *exemerunt*, ET TOTALITER *liberarunt*? Ità pro-

profectò legimus ex eisdem Bullis in *Súmm. num.2. litt.A.*, & *B.*, & *Sum. n.3. litt.D.*

20 Præterea hujusmodi Bullas nonne amplissimè confirmarunt omnes Successores Pontifices usque ad Innocentium XI., qui de *Anno* 1680. Universalem regebat Ecclesiam ? Ita quoque patet *ex Summario num.4.*, & *seqq. ad num.12.* . Est ergo impossibile, ut super Ecclesiis a nostro Ordine dependentibus valeat Episcopus sibi arrogare controversum jus visitandi, si Suprema Pontificum Authoritate fuerunt illæ tanta verborum amplitudine ab omni Episcopali Jurisdictione, & ab ipso nominatim Jure visitandi penitus liberatæ, optimè *Rigant. de Prothonot. Apostol. pag.46. num.136.*, & *seqq.*, *Panimoll. Decis.12. Annot.5. num.33.*, & *seqq.*, *Rot. coram Ludovis. decis.4. num.6.*, *in Burgen. Juris visitandi de Bribieska 22.Junii 1714. §. Demum coram clar. mem. Scotto* .

21 Clarissimo huic Exemptionis Titulo ex tot Apostolicis Privilegiis graviter adstipulatur tùm affirmativa, tum negativa observantia. Constat enim, quod hujusmodi Parochiales Ecclesiæ perpetuò visitatę fuerunt a nostro Præposito Generali Miechoviensi, quemadmodum ex *Summario num.17.* Constat rursus, quod in tanta Sæculorum fuga nullus exadverso potuit reperiri, nullusque afferri Visitationis Actus, qui fuerit ab aliquo Ordinario expletus in eisdem Parochialibus quoad Curam etiam Animarum. Quid ergo ultra quærendum? Hæc enim sola nedùm affirmativa, sed negativa etiam observantia in tot Episcopis, qui in visitando Parochiales negligentes esse non solent, satis superque est, ut in hodierno Episcopo Cracoviensi omnino agnoscatur defectus cujuscumque Juris, & Potestatis quoad visitationem nostrarum Parochialium, punctim *Rot. in Tirasonen. Jurisdictionis super Reservatis 22. Junii 1739. §. Certoque cor. bon. mem. Canilliac*, *in Auximana super Bono Jure 21. Junii 1748. §. 16. coram bon. mem. Clemente* ibi = *Siquidem ab anno, quo post omnes jam impletas conditiones Pianum Privilegium suam obtinuerat firmitatem, nulla hactenus legittima exhibetur visitatio sive Ordinario, sive Delegato ex jure peracta a tot clarissimis, qui Auximanæ Sedi præfuerunt Antistes : Et cum non id possit adscribi negligentiæ Episcoporum, qui pro cæteris aliis visitandis Ecclesiis quam diligentissimi fuerunt; ne pro hac una tantum Ecclesia Officio suo turpiter defecisse dicantur, necessario tribuatur oportet defectui potestatis, quam ei omni ex jure privilegium ademit, ne visitarent* .

22 Quin in linea possessionis refricandi sint contrarii Actus. Quid enim de hisce Actibus sentiendum sit, probat *noster contemporaneus Restrictus*. Ast in omni deploratissimo casu, quidnam ex hujusmodi assertis Actibus mendicare sibi possent Adversarii ? Nonne probatum jam est in *nostro Contemporaneo Restrictu*, & definivit Sac. Tribunal contra ipsum Episcopum

Præ-

Præmisliensem, quod eidem Episcopo nil aliud competeret super nostris Ecclesiis, nisi facultas dandi *Institutiones authorizabiles*, nulliusque tituli collativas, idque ex eo quia dd. Ecclesiæ subjectę plenariè sunt iurisdictioni Reverendissimi Generalis Pręposìti? Ita sanè legimus *in Decis. Præmislien. Præposituræ 27. Februarii 1760. §. 11. coram Rmo P.D. Ratta, & in confirmatoria 22. Januarii 1761. coram eodem* In hoc igitur casu non aliud per damnatissimam hypothesim posset sibi Episcopus arrogare, nisi cumulativam facultatem visitandi easdem Ecclesias Parochiales quoad Curam Animarum una cum nostro Præposito Generali, ut aliàs dixit *Rot. in Burgen. Jurisdictionis, seu Visitationis 3. Julii 1713. §. Constabilito cor. Barbadico, & in Confirmatoria 19. Januarii 1714. §. Unde coram Scotto* ibi = *Unde permittenda videbatur Abbati facultas eas visitandi cumulative cum Archiepiscopo etiam circa Administrationem Sacramentorum, & Curam Animarum: Nam licet Episcopi quoad ea, quæ tangunt Curam, visitare possint Ecclesias Regulares, seu ad Regulares spectantes, id tamen non intelligitur privative, sed cumulative cum Superiore Monasterii, cum nullam præseferat implicantiam, aut monstruositatem, quod eamdem Animarum Curam, quam causaliter visitant Episcopi ratione Jurisdictionis in Populum, visitent quoque Superiores Regulares tamquam Domini Ecclesiarum, ubi ea administratur.*

23 Nec replicasse juvat, quod Visitatio cumulativa duntaxat admitti possit in iis Ecclesiis, quas Episcopi visitant Jure delegato, non vero in Ecclesiis Parochialibus, quæ in Concernentibus Curam Animarum subsunt Ordinariæ Jurisdictioni Episcopi juxta dispositionem Concilii *sess. 25. cap. 11. de Regular.* Quandoquidem admisso etiam per hypothesim, quod Episcopi visitent has Ecclesias ad formam *d. Concil. Tridentini cap. 11. de Regular.*, nihilo secius adhuc semper præservatum ex eo censetur Jus Superioris visitandi Parochiales cumulativè cum Episcopis, resurgente illa ponderosissima ratione, quod numquam præsumitur abrogata authoritas eidem Superiori Regulari competens visitandi *quoad omnia* Ecclesias ejus plenariæ Jurisdictioni subjectas, ut loquendo de eodem Conciliari Decreto tradit *Barbos. ad Concil. dict. cap. 11. num. 25., & 26.*, & in individuo respondit *Rot. in citata Burgen. Jurisdictionis 19. Januarii 1714. §. Non attenta coram Scotto*, ibi = *Non attenta replicatione, quod Visitatio cumulativa admitti dumtaxat valeat in Ecclesiis, quas Episcopi visitant Jure delegato, non vero in Ecclesiis Parochialibus, quæ in concernentibus Animarum Curam subsunt immediatæ, ac Ordinariæ Jurisdictioni Diœcesani juxta Decretum Sacrosancti Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. Siquidem &c. objectum nullo pacto subsistit; Nam dato etiam, quod Archiepiscopus has visitaret Ecclesias authoritate ordinaria ad tenorem dicti cap. 11. de Regu-*

gular., *nihilotamen minus adhuc præservatum ex eo censeretur Jus Abbatis visitandi Parochiales cumulative cúm Archiepiscopo ex supra adducta ratione*, *quod numquam abrogata præsumitur authoritas Superiori Regulari competens visitandi quoad omnia Ecclesias ejus jurisdictioni subjectas*.

24 Adversus hæc omnia, quæ firmissima sunt, regerenda non est Sententia edita coram Reverendissimo P. D. Ratta in superius enunciata Causa contra Episcopum Præmisliensem. Quandoquidem licet in eadem Sententia addita fuerint verba = *exceptis iis*, *quæ respiciunt Curam Animarum*, & *Administrationem Sacramentorum* = attamen ponderandum maximè est, quod hujusmodi verba fuerunt *generaliter*, & *incidenter* prolata, ideoque nihil omnino in particulari determinant. Reque vera quod generaliter intelligenda sint, suadet Dubium, quod tunc sub hac formula disputabatur = *An constet de Conventualitate Ecclesiæ Parochialis in Przewvorsko*, *seu potius de illius subjectione Jurisdictioni Episcopali etiam quoad Personas* = Sub hoc autem Dubio ita *generaliter* concepto nulla aggressa fuit *particularis* disceptatio de hoc, vel illo actu quoad Curam Animarum; Minusque eo in Judicio stetit Rmus Generalis Ordinis Præpositus ad sibi vindicandum Jus plenariæ, & privativæ Exemptionis *quoad Conventum Generalem Miechoviensem*, & Jus visitandi Ecclesias Parochiales ab eodem Conventu dependentes. Hodie igitur cum id *particulariter* disceptetur sub suo peculiari Dubio in fronte transcripto, nemo non videt, quod relatæ Sententiæ verba ad hanc particularem disputationem non pertinent, nihilque obstant, quominus eadem disputatio sit juxta vota ejusdem Præpositi Generalis definienda.

Quare &c.

Dominicus Franci.

R. P D

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis

Quoad Curam Animarum.

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri.

CONTRA

R.D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

Gg

Facti.

20

Typis Lazzarini 1777.